



## SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

---

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>  
joannescarolusrossi@fastwebnet.it  
luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

---

**Ordo rerum  
in annum MMXVI  
a sodalibus latinis  
in Venerandis Aedibus Ambrosianis  
agendarum**

---

**Ante diem XI Kalendas Martias**

---

Locos de P. Gaudio cive Romano, ex Ciceronis actione in Verrem secunda decerptos, recitat Joannes Carolus Rossi, Ivana Milani praelegit.

*Sodales his locis adhibitis exercentur juxta artis rhetoricae praecepta: per synonymiam, paraphrasim, ampliationem, compendium, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.*

---

Marcus Tullius Cicero

## *Commenticium epistolarum commercium*

*Litterae ternae Joviani Erythraei proponuntur ad Manes Ciceronis prodigiose allatae totidemque numero epistulae a Cicerone in campis Elysiis rescriptae, ex quibus ipisus vita et mors cognoscuntur.*<sup>1</sup>

**Jovianus Erythraeus Marco Tullio Ciceroni salutem plurimam dicit.**

Si vales, bene est; nos quoque valemus. Unde exordium sumam nescio: libris enim de te viginti saeculorum decursu conscriptis non sufficerent loculamenta bibliothecae Ptolomaei! Sed incipiamus, ut aiunt, ab ovo: velim mihi scribas quando et ubi natus sis, brevique vitam tuam perstringas.

Vale.

**Marcus Tullius Cicero Joviano Erythraeo salutem dicit.**

Ex epistolio tuo fulminis instar statim allato, cognovi velle te de vita mea rescire. Faciam quam brevissime potuero. In agro Arpinati ex equestri familia natus sum anno ab urbe condita sescentesimo quadragésimo septimo<sup>2</sup>; postquam ex domestica patris disciplina primos fructus percepi, adolescentulus una cum Quinto frate Romam veni, ubi litteras primum me docuit Aulus Licinius Archias poeta; tum Apollonium Molonem Rhodium, causarum actorem, Diodotum stoicum, Phaedrum et Zenonem epicureos, et Philonem academicum audivi; iuris autem civilis praeceptorem habui Quintum Mucium Scaevolam. A quo ad eloquentiam institutus, in foro coepi versari primamque causam dixi pro Sexto Roscio. Va-

---

<sup>1</sup> Haec epistolae anno MCMIC compositae sunt, ut in emissione televisifica cui index AMORROMA adiberentur. Materia e duobus fluxit fontibus: vita, e Thomae Vallaurii *Historia critica litterarum Latinarum* (Augustae Taurinorum, ex officina regia, 1860); mors, ex Hugonis Henrici Paoli libello vere aureo, cui titulus *Ciceronis Filius* (F. Le Monnier Florentiae edidit A.D. MCMLXIV).

<sup>2</sup> Die tertia Januarii mensis anno ante Christum natum CVII.

letudinis causa, quae tunc infirmior esse videbatur, in Asiam profectus sum; Athenis etiam sex menses degi et Rhodo, qua in insula denuo ad Molonem meum applicui. Duos post annos quam discesseram, Romam reverti exercitior; tunc enimvero, sive propter adsiduitatem in causis, sive propter orationis genus, animos hominum ad me ita converti, ut aditus pateret ad cursum honorum: primum quaestor, deinde aedilis curulis et praetor incredibili populi voluntate sum renuntiatus; ac tandem anno urbis conditae sescentesimo nonagesimo<sup>3</sup> consulatum adeptus, ob detectam et extinctam Catilinae coniurationem in primis enitui. Haud ita multo post in Clodii aliorumque improborum civium invidiam adductus, patria exsulavi, donec sexto decimo mense summa cum dignitate in urbem fui revocatus. Annum agens quartum et quinquagesimum in collegium augurum cooptatus, mox proconsul Ciliciam provinciam sortitus, ubi bello feliciter gesto imperatoris nomen promerui. Exardescente bello civili, Pompeii partes secutus sum, quo mortuo in gratiam redii cum Caesare, sed quamdiu ille rerum dominatum tenuit, me totum philosophiae tradidi, ut et doloris peterem medicinam, et otii honesti oblectationem. Post Caesaris interitum, civilibus fluctibus iterum iactatus, Antonii triumviri iussu, cuius odium Philipphicis meis mihi contraxeram, interfectus sum anno urbis conditae septingentesimo undecimo<sup>4</sup>, aetatis meae quarto et sexagesimo.

Haec habebam quae tibi referrem.

Vale.

**Jovianus Erythraeus M.T. Ciceroni sal. d.**

Litteras quas de vita tua scripsisti gratas nobis fuisse scito. Nunc vero scire velim tunc re vera versum illum composueris: *O fortunatam natam me consule Romam.*<sup>5</sup>

Cura ut valeas.

**Cicero Erythraeo salutem.**

Versum adeo inconditum e calamo meo fluxisse qui potuisti credere? Me, qui arte oratoria praestitisse habeor, omoioteleuton rude et incom-

---

<sup>3</sup> Anno ante Christum natum LXIII.

<sup>4</sup> Die scilicet VII Decembria mensis anno ante Chr. n. XLIII.

<sup>5</sup> A Sallustio, Quintiliano, Juvenale aliisque Ciceroni tribuitur; hic placuit aliter imaginari ac traditum est.

tum *-fortunatam natam-* adhibuisse, quasi tuba taratantara canerem? Si-  
quid gravius erit, quod intersit me referre, scribas sane<sup>6</sup>. Alioquin mitte.  
Vale.

### **Erythraeus Ciceroni salutem dicit.**

Facile adsentior tuis litterulis, quibus mones graviora esse tractanda.  
Ineptiis igitur remotis seria quaeramus. Superioribus litteris vitam tuam  
perbelle perstrinxisti; nunc vero velim nobis de tua caede, nisi molestum  
est meminisse, scribas.

Vale.

### **Cicero Erythraeo salutem.**

Ex recordatione interitus mei, magnum equidem capio dolorem, sed non  
tantum, quin ad tuum rogatum respondeam. Quum tresviri Romam ap-  
propinquarent, urbem reliqui: noveram enim me in proscriptorum nu-  
merum relatum. Primum in Tusculanum, deinde in Formianum fugi,  
ibique conscensa navicula, Circeios petii, unde mutato consilio Caietam  
regredi nautas iussi. Dum litus adeo, densum corvorum ac graculorum  
agmen evolant ac rudentibus, antemnis, gurbernaculo insidunt; tum me  
insectantur villamque invadunt; tam infausto omine perterritus navem  
iterum conscendi, sed prae nausea iactationem non ferens, nautis impe-  
ravi ut rursus litus peterent: necessest in patria moriatur, qui patriam  
servavit! In ipso litore obvii fiunt Antonii sicarii; servi vero mei pugioni-  
bus extractis, quos sub vestibus celatos habebant, ad pugnam pro domi-  
no accingebantur, quum ego lecticam deponi iussi: ferte-inquiens- aequo  
animo, quod fors iniqua cogit. Cervicem e lectica promptam sicariis  
praebui: iugulant, caput obtruncant, manus praecidunt: spolia opima fe-  
ritate Antonii digna! Ceterum, uti scripsi in Tusculanis disputationibus,  
accipere quam facere praestat iniuriam.<sup>7</sup> Sed de hoc satis: prae lacrimis  
plura scribere non queo. Vale.

---

<sup>6</sup> Idem sentire de Cicerone poeta videtur Erythraeus quod Joannes Della Casa in *Vita Bembi* expressit: *Neque ii tamen nos sumus, qui aut Ciceronis versus valde improbandos existimemus, aut Platonem atque Aeschinem (utrumque enim versus in adolescentia scriptitasse memoriae proditum est) malos contemptosque fuisse poetas credamus.*

<sup>7</sup> V, 66

## Marcus Tullius Cicero

# *Actiones in Verrem*

*Orationes, quas Verrinas appellamus, anno 70 a. Chr. n. scriptae sunt in C. Licinium Verrem, qui praetor Siciliae ab anno 73 ad 71 fuerat. Ante orationes habita est, ut mos fuit, divinatio in Q. Caecilium, qua Cicero factus est accusator. Tum vero prima actio in Verrem de repetundis nonis sextilibus intenta est in senatu: orationem adeo vehementem habuit Cicero, tam probabilia attulit argumenta, ut Verres, crimine convictus, aufugere maluerit, quam in iudicio defendi. Deinde Cicero testimonia et indicia edidit, in quinque orationes distributa, quarum tituli sunt:*

- *De praetura urbana,*
- *De iurisdictione Siciliensi,*
- *De re frumentaria,*
- *De signis,*
- *De suppliciis.*

### *Commentarium de actione in G. Verrem secunda De suppliciis civium Romanorum*

#### *De analysi rhetorica*<sup>8</sup>

Quum Hortensius objecisset Verrem bonum esse imperatorem ideoque absolvendum esse, e re nata Cicero in hac oratione ostendit eum esse pessimum imperatorem, haec tria tractans: de bello fugitivorum, de praedonum, de suppliciis civium. Crudelitatem Verris in cives romanos ostendit a virgis, carcere et cruce (...).

In crucem egit P. Gavium Consanum civem romanum, cuius supplicium narrare incipit orator **pathetica dubitatione** (157. *Nam quid ego...*).

Prosequitur eleganter in paucis **hypotyposi** (159. *Gravius hic...*).

Post **exclamationem narrationem** subicit ad motum de libertate Civis Romani (161. *O nomen dulce...*).

---

<sup>8</sup> Excerptum e libro cui index "Explanatio Rhetoricae accommodata candidatis rhetoricae, cui adicitur analysis rhetorica omnium orationum M.T. Ciceronis, qua ars ejusdem et methodus dicendi eruitur et cuivis etiam docoto oratori ad imitandum proponitur. A R.P. Martino Du Cycne Societatis Jesu. Editio nova ornatio et correctior. Florentiae MDCCXV. Typis Regiae Celsitudinis. Apud Jacobum Guiduccium ac Sanctem Franchium. Superiorum licentia. Sumptibus Charlierii. Sub signo S. Ludovici."

Subicit et **prolepsim**, qua Verrem plurimum et sua ipsius confessione convincit atque jugulat, istum Gavius Constanus non speculatorem fugitivorum, sed civem Romanum fuisse, istumque in tormentis clamitasse se civem esse Romanum (163. *Nunc quoniam...*).

Quare **communicatione** multa rursus **amplificat** de jure ac dignitate ac fiducia civis Romani, quem tamen Verres tollere in crucem ausus est (165. *Si tu apud Persas...*).

Sed vehementius assurgit **amplificatio** altero Verris facinore, quo crucem Mamertinorum loco movit et in conspectu Italiae fixit, ut non jam P. Gavius, sed communis libertatis infestissimum hostem exhiberet (168. *Sed quid ego...*).

**Gradatio** amplificationem ipsam graviolem reddit (169. *Facinus est...*).

Altera item gradatio et **comparatio** per apostropham paene lacrimas et commiserationem erga navarchos, severitatem vero iudiciorum erga Verrem elicit. (170. *Si haec non ad cives...*).

Ceterum si forte absolvatur Verres (advertite **insinuationem**), quod non est probabile, Cicero fidem suam studiumque erga Rempublicam ista accusatione probavit (172. *A me tametsi...*).

*De provocatione ad populum, de qua cautum est legibus Valeria, Portia, Sempronia, Julia.*<sup>9</sup>

Lex Valeria vetabat nequis, qui provocasset, virgis caederetur aut securi percuteretur. Lex Porcia poenam indixit, si quis verberasset necassetve civem Romanum. Cicero pro Rabirio: Lex – inquit - Porcia virgas ab omnium civium Romanorum amovit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit. Lex Sempronia ne de capite civium Romanorum injussu populi iudicaretur: qui iudicasset, ut in eum populi animadversio esset. (...)

His addita est postea Lex Julia, quae jubebat eum qui, quum imperium potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, iusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur, eum Legis Juliae de vi poena teneri.

---

<sup>9</sup> Novus Thesaurus Antiquitatum Romanarum congestus ab Alberto Henrico Salengre, celsissimorum ac praepotentium foederati Belgii ordinum rei aerae quattuorviro, nec non serenissimae principis arausionensis consiliario. Tomus III. Hagae Comitum, apud Petrum Gosse, MDCCXXIV. Pg 1060.

---

Marcus Tullius Cicero

## *Actionis in Verrem secundae liber V*

*De suppliciis civium Romanorum*

[158] Nam quid ego de P. Gavio, Consano municipe, dicam, iudices, aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit; ut cetera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo, suppetant magis laborandum est.

Quod crimen eius modi est ut, cum primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem; tametsi enim verissimum esse intellegebam, tamen credibile fore non arbitrabar.

Coactus lacrimis omnium civium Romanorum qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, hominum honestissimorum, omniumque Regionum testimoniis multorumque equitum Romanorum, qui casu tum Messanae fuerunt, dedi tantum priore actione testium res ut nemini dubia esse possit.

[159] Quid nunc agam? Cum iam tot horas de uno genere ac de istius nefaria crudelitate dicam, cum prope omnem vim verborum eius modi, quae scelere istius digna sint, aliis in rebus consumpserim, neque hoc providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem, quem ad modum de tanta re dicam?

Opinor, unus modus atque una ratio est; rem in medio ponam; quae tantum habet ipsa gravitatis ut neque mea, quae nulla est, neque cuiusquam ad inflammandos vestros animos eloquentia requiratur.

[160] Gavius hic quem dico, Consanus, cum in illo numero civium Romanorum ab isto in vincla coniectus esset et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset Messanamque venisset, qui tam prope iam Italiam et moenia Regionum, civium Romanorum, videret et ex illo metu mortis ac tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset, loqui Messanae et queri coepit se civem Romanum in vincla coniectum, sibi recta iter esse Romam, Verri se praesto adveniendi futurum.



Non intellegebat miser nihil interesse utrum haec Messanae an apud istum in praetorio loqueretur; nam, ut antea vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat quam haberet adiutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium consciam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius, eoque ipso die casu Messanam Verres venit.

Res ad eum defertur, esse civem Romanum qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur; quem iam ingredientem in navem et Verri nimis atrociter minitanti ab se retractum esse et adservatum, ut ipse in eum staret quod videretur.

[161] Agit hominibus gratias et eorum benivolentiam erga se diligentiamque conlaudat. Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit; ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat.

Exspectabant omnes quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consanum; meruisse cum L. Raecio, splendidissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset.

Tum iste, se comperisse eum speculandi causa in Siciliam a ducibus fugitivorum esse missum; cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla; deinde iubet undique hominem vehementissime verberari.

[162] Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur nisi haec, 'Civis Romanus sum.'

Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur; is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur, sed cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux,—crux, inquam,—infelici et aerumnoso, qui nunquam istam pestem viderat, comparabatur.

[163] O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas!

Hucine tandem haec omnia reciderunt ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo qui beneficio populi Ro-



mani fascis et securis haberet deligatus in foro virgis caederetur?

Quid? cum ignes ardentisque laminae ceterique cruciatus admovebantur, si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhiibat, ne civium quidem Romanorum qui tum aderant fletu et gemitu maximo commovebare?

In crucem tu agere ausus es quemquam qui se civem Romanum esse diceret? Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, iudices, nolui; vidistis enim ut animi multitudinis in istum dolore et odio et communis periculi metu concitarentur.

Statui egomet mihi tum modum et orationi meae et C. Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo; et Glabrimonem id quod sapientissime fecit facere laetatus sum, ut repente consilium in medio testimonio dimitteret.

Etenim verebatur ne populus Romanus ab isto eas poenas vi repetisse videretur, quas veritus esset ne iste legibus ac vestro iudicio non esset persoluturus.

[164] Nunc quoniam iam exploratum est omnibus quo loco causa tua sit et quid de te futurum sit, sic tecum agam.

Gavium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam in lautumias Syracusis a te esse coniectum, neque id solum ex litteris ostendam Syracusanorum, ne possis dicere me, quia sit aliqui in litteris Gavius, hoc fingere et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere, sed ad arbitrium tuum testis dabo qui istum ipsum Syracusis abs te in lautumias coniectum esse dicant.

Producam etiam Consanos municipes illius ac necessarios, qui te nunc sero doceant, iudices non sero, illum P. Gavium quem tu in crucem egisti civem Romanum et municipem Consanum, non speculatorem fugitivorum fuisse.

[165] Cum haec omnia quae polliceor cumulate tuis proximis plana fecero, tum istuc ipsum tenebo quod abs te mihi datur; eo contentum esse me dicam.

Quid enim nuper tu ipse, cum populi Romani clamore atque impetu perturbatus exsiluisti, quid, inquam, elocutus es?

Illum, quod moram supplicio quaereret, ideo clamitasse se esse civem Romanum, sed speculatorem fuisse.

Iam mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius, quid M. et P. Cottii, nobilissimi homines ex agro Tauromenitano, quid Q. Luceius, qui argentariam Regi maximam fecit, quid ceteri? Adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed se vidisse dicerent, cum is, qui se civem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris, illum clamitasse se civem esse Romanum; apud te nomen civitatis ne tantum quidem valuisse ut dubitationem aliquam [crucis], ut crudelissimi taeterrimique supplicii aliquam parvam moram saltem posset adferre.

[166] Hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus uno, omitto ac neglego cetera; sua confessione induatur ac iuguletur necesse est.

Qui esset ignorabas, speculatorem esse suspicabare; non quaero qua suspicionem, tua te accuso oratione: civem Romanum se esse dicebat.

Si tu apud Persas aut in extrema India depensus, Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares nisi te civem esse Romanum? et si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile et inlustre apud omnis nomen civitatis tuae profuisset, ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum civem se Romanum esse diceret, apud te praetorem si non effugium ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis adsequi potuit?

[167] Homines tenues, obscuro loco nati, navigant, adeunt ad ea loca quae numquam antea viderunt, ubi neque noti esse iis quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt.

Hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, qui et legum et existimationis periculo continentur, neque apud civis solum Romanos, qui et sermonis et iuris et multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur, sed, quocumque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant futuram.

[168] Tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis, constitue nihil esse opis in hac voce, 'Civis Romanus sum,' posse impune praetorem aut alium quempiam supplicium quod velit in eum constituere qui se civem Romanum esse dicat, quod qui sit ignoret: iam omnis provincias, iam omnia regna, iam omnis liberas civitates, iam omnem orbem

terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecluseris.

Quid? si L. Raecium, equitem Romanum, qui tum erat in Sicilia, nominabat, etiamne id magnum fuit, Panhormum litteras mittere? Adservasses hominem custodiis Mamertinorum tuorum, vinctum clausum habuisses, dum Panhormo Raecius veniret; cognosceret hominem, aliquid de summo supplicio remitteres; si ignoraret, tum, si ita tibi videretur, hoc iuris in omnis constitueres, ut, qui neque tibi notus esset neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis Romanus esset, in crucem tolleretur.

[169] Sed quid ego plura de Gavio? quasi tu Gavio tum fueris infestus ac non nomini generi iuri civium hostis.

Non illi, inquam, homini sed causae communi libertatis inimicus fuisti. Quid enim attinuit, cum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem in via Pompeia, te iubere in ea parte figere quae ad fretum spectaret, et hoc addere, — quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, — te idcirco illum locum deligere, ut ille, quoniam se civem Romanum esse diceret, ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset?

Itaque illa crux sola, iudices, post conditam Messanam illo in loco fixa est.

Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens perangusto fretu divisa servitutis ac libertatis iura cognosceret, Italia autem alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio adfixum videret.

[170] Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?

Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus; 'spectet,' inquit, 'patriam; in conspectu legum libertatisque moriatur.'

Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem nescio quem, sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti. Iam vero videte hominis audaciam! Nonne eum graviter tulisse arbitrari quod illam civibus Romanis crucem non posset in foro, non in comitio, non in rostris defigere?

Quod enim his locis in provincia sua celebritate simillimum, regione

proximum potuit, elegit; monumentum sceleris audaciaeque suae voluit esse in conspectu Italiae, vestibulo Siciliae, praetervectione omnium qui ultro citroque navigarent.

[171] Si haec non ad civis Romanos, non ad aliquos amicos nostrae civitatis, non ad eos qui populi Romani nomen audissent, denique si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et ad scopulos haec conqueri ac deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum acerbitate commoverentur.

Nunc vero cum loquar apud senatores populi Romani, legum et iudiciorum et iuris auctores, timere non debeo ne non unus iste civis Romanus illa cruce dignus, ceteri omnes simili periculo indignissimi iudicentur.

[172] Paulo ante, iudices, lacrimas in morte misera atque indigna nauarchorum non tenebamus, et recte ac merito sociorum innocentium miseria commovebamur: quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? Nam civium Romanorum omnium sanguis coniunctus existimandus est, quoniam et salutis omnium ratio et veritas postulat.

Omnes hoc loco cives Romani, et qui adsunt et qui ubique sunt, vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt; omnia sua iura commoda auxilia, totam denique libertatem in vestris sententiis versari arbitrantur.

---